



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm**

**Vinitor, Gerlacus**

**Coloniae Agrippinae, 1656**

I. De tempore Aduentus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9459**



## PARS VI.

*De Ritibus seruandis in quibusdam precipuis die-  
bus & festis occurrentibus per annum.*

### TITVLVS I.

*De tempore Aduentus.*

1. **T**empus Aduentus Domini partim est lu-  
ctus, partim lætitiæ: Ideoque *Alleluia* in  
quibusdam omittitur, & in quibusdam officijs  
additur. Omittitur quidem post Graduale in  
Missis quæ dicuntur in ferijs de Aduentu, non  
tamen in Dominicis; additur verò multis Anti-  
phonis, quæ eodem tempore dicuntur. Omitti-  
tur etiam Hymnus Angelicus in Missis de ipso  
Aduentu & Hymnus *Te Deum* ad Matutinum in  
Dominicis & officio de tempore.

2. Toto hoc tempore Aduentus, quando of-  
ficium fit de eo, vtendum est colore violaceo,  
etiam Dominicis diebus infra octauam aliquam  
occurrentibus.

3. Diaconus & Subdiaconus in maioribus  
Ecclesijs scilicet Cathedralibus, Collegiatis, &  
in Ecclesijs Regularium insignioribus in Missis  
de Aduentu vtuntur Planetis plicatis ante pe-  
ctus ex Missali & Decreto congregat Rit. Exci-  
pitur tamen Dominica tertia, quæ dicitur *Gaude-  
te*, in qua vtuntur Dalmaticis consuetis, sicut in  
hebdomada sequenti quando tantum dicitur  
Missa de eadem hebdomada. Planetæ autem il-  
læ sunt eiusdem formæ & coloris, ac illa Cele-  
brantis, sed tantum plicatæ intrinsecus vsque ad  
pectus, vel reuolutæ aciculis aut quibusdam  
vinculis

PARS

**T**

vinculis

vinculis firmata, ne pars earum anterior decidat. Finita autem Missa possunt eadem acicula aut vincula auferri, & sic inseruire poterunt alijs Sacerdotibus pro celebratione Missarum.

4. In iisdem sumendis aut deponendis hie ordo seruari debet, Subdiaconus cantaturus iam Epistolam, paulo antequam accipiat librum, eam deponit in aliquo loco congruo & conuenienti ad id deputato adiuuante eum aliquo Acolytha in cornu Epistolæ; cantatque Epistola, & accepta benedictione à Celebrante, eam resumit antequam deserat librum Euangeliorum Celebrantis.

5. Diaconus similiter suam deponit eodem modo & eodem loco paulo antequam accipiat librum Euangeliorum, & assumit aliud genus stolæ latioris & eam aptat super humeros, eodem modo quo solitam stolam. Resumit verò planetam plicatam tantum post Communionem Celebrantis scilicet postquam Missale detulerit ad cornu Epistolæ post depositam stolam latiore.

6. In minoribus Ecclesijs Diaconus ministrat Alba, Stola, & Manipulo violaceis indutus, Subdiaconus verò Alba & manipulo tantum. Excipitur tamen Dominica tertia, vt supra dictum est, & ijs diebus, quibus dicitur Missa de eadem Dominica, quia tunc vruntur Dalmarica & Tunnicella.

7. In ipsa etiam Dominica tertia pulsantur Organa, & Altare aliquantulum solemnius paratur, quàm alijs Dominicis, in quibus abstinendum est solemniori apparatu.

8. Feria secunda cuiusque hebdomadæ Aduentus, dicitur officium defunctorum, & dicitur Missa conuentualis pro eis quando festi nouem lectionum non impeditur, quia non est Missa peculiaris pro ipsa die. Quando verò fe-

omnes secundæ impediuntur aliquo festo nouem lectionum etiam translato, tunc eo anno omittitur toto Aduentu & non propterea dicitur alia feria. Omittitur etiam in vigilia Natiuitatis Domini, si occurrat feria secunda.

9. Si in qualibet Dominica Aduentus occurrat dies alicuius octauæ Sabbatho præcedenti dicuntur vespere integræ de Sabbatho cum commemoratione tantum de die octaua. Si tamen sit festum semiduplex à capitulo tantum fit de Dominica, & commemoratio de octaua, & postea de festo semiduplexi & sequenti die Dominica non dicuntur preces ad Primam & Completorium & adhibebitur color violaceus. Et hoc seruari debet in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ vt definiuit sacra Rit. Congregatio.

*Gauantko  
sect. 3. cap. 9.  
num. 13.*

TITVLVS II.

De vigilia, nocte, & die Natiuitatis Domini nostræ Iesu Christi, & alijs festis & diebus vsque ad Purificationem.

1. Si vigilia Natiuitatis Domini occurrat in Dominica quarta Aduentus, fit quidem de Dominica quarta vsque ad Laudes, exceptis ijs quæ sunt propria vigiliæ, vt in Breuiario. Reliqua erit de vigilia cum commemoratione Dominicæ.

*Gauantko  
part. 4. tit. 9.  
3. num. 1.*

2. In prima huius vigiliæ solent cantari Martyrologium cum maiori quàm alias sollempnitate in quo Natiuitas Christi annuntiat; qua in re quisque abundat in ritu suo. Illud verò obseruandum, vt quando lector Martyrologij dicit *In Bethleem Iuda* eleuet

T 2

vocem